

no fratri Wenceslao tamquam eorum superiori, priori et maiori reverenter pareant, obediant et intendant eidemque prebeant auxilium, consilium et favorem in omnibus, que ad curam, regimen et administracionem dicti prioratus et dictarum preceptoriarum pertinere noscuntur, quotiens opus fuerit et eos aut quemlibet ipsorum duxerit requirendum. Necnon universis et singulis fratribus domus predictae quacumque auctoritate, dignitate vel officio fungentibus, presentibus et futuris, ne contra nostram presentem auctoritatem prescriptarum litterarum concessionem et commendacionem aliquatenus facere vel venire presumant, quinyimo iuxta eius mentem et seriem studeant inviolabiliter observare. Mandantes et precipientes cuicumque fratri dicti ordinis sub virtute sancte obedientie, qui primitus a dicto fratre Wenceslao fuerit requisitus, ut eundem vel procuratorem suum in corporalem possessionem pacificam et quietam dicti prioratus et dictarum preceptoriarum sive baiulliarum cum premissis condicionibus inducant et inductum conservent omni contradicione remota, amoto abinde exnunc prout^g extunc, extunc prout exnunc quolibet alio illicito detentore, si quis sit, quem nos etiam per presentes amovemus et decernimus firmiter amovendum. In quorum omnium et singulorum fidem, robur et testimonium presentes litteras seu publicum instrumentum nostris sigillis munitas seu munitum fieri fecimus per notarium publicum infrascriptum et sigillari mandavimus sigillo mei parvo Racelli predicti in absentia dicti domini fratris Hugonis prioris de eius mandato duplicato. Acta fuerunt hec et concessa sacrosancta synodo in eadem existente apud sanctum Iohannem dicti ordinis videlicet in domibus solite^h residentie prioris Alamanie anno incarnationis Domini M CCCC XXXIII, die vero mensis Aprilis XI, pontificatus sanctissimi domini Eugenii divina providentia pape quarti anno quarto, regnante serenissimo et invictissimo principe domino domino Sigismundo, Dei gratia Romanorum rege semper augusto, presentibus ibidem et consulentibus reverendo religioso et domino, domino fratre Hugone de Monteforti, Alamanie dicti ordinis priore, ac venerabilibus dicti ordinis religiosis fratribus Rumbaldo zum Trubel in Rotruil⁷⁶, Iohanne Losel in Runoelden⁷⁷,

g) ut *über der Zeile* h) so *für* solite

76) Fr. Rembold zum Trübel, Komtur zu Rottweil: Paul Friedrich STÄLIN, Komthure des Johanniter-Ordens im Gebiet des jetzigen Königreichs Württemberg, Archivalische Zs. 8 (1883) S. 106–111, hier S. 111.

77) Fr. Johann Lösel, Komtur zu Rheinfelden: ZIMMER / BRAUN (wie Anm. 50) S. 434f.